

lem, et defectibilem, ut non velit omnibus dare talem gratiam, quæ defectum, et peccatum punibile impediatur, quia sufficit non esse debet beneficium ut negetur.

LIV. Nec propterea verificatur quod Deus creat hominem ut puniat, vel ut pereat, sed hominem in quantum hominem creat, ut fruatur se, et ad vitam æternam tendat ut ad finem, nec enim finis creandi hominem est supplicium, vel exclusio a vita æterna, sed finis ad quem omnes ordinantur ex se est beatitudo. Cæterum hunc finem ad quem omnes Deus ordinavit, et propter quem omnes finxit, non voluit ut omnes de facto assequerentur: considerando enim hominem, ut defectibilem, mutabilem, et contingentiam subjectum, non voluit universaliter beneficio illo donare, quo ab omnibus miseris, et defectibus tandem eximeretur, quæ est gloria, sed eam aliquibus denegare, ut juxta ordinarium cursum etiam locum daret justitiæ. Unde ut recte dicit S. Prosper responsione XI ad objectiones Vincentianas: « Deus non prædestinavit homines ad peccata, neque ad malignitates, et casus ruentium, neque ad hoc illos excitavit aut impulit, sed prædestinavit judicium suum quo unicuique retributurus est prout gessit. » Ut autem prædestinaret seu decerneret hoc judicium, non negat S. Prosper, sed supponit denegasse Deum prius beneficium gloriæ illis hominibus, et exinde permisisse mala, seu peccata, non ad illa impulsisse. Quomodo autem etiam in his reprobis verificetur petitio illa orationis Dominicæ; *Fiat voluntas tua*, cum ipsi pro voluntate Dei efficaci non possint petere, quia sic peterent suam reprobationem, pro voluntate autem antecedenti frustra peterent, quia hæc nunquam implenda est, nec per orationes eorum. Respondeo,

in communi petere omnes ut fiant voluntas Dei, id est, id quod ad majorem ejus gloriam juxta divinæ suæ sapientiæ dispositionem pertinet; in singulari autem petere ut fiat voluntas Dei ad sanctificationem, et glorificationem nostram, quia hæc est voluntas Dei sanctificatio nostra, et quia nescimus an nobis per orationes nostras danda sit, semper id petendum est; nec enim oratio nostra regulatur penes id quod in re efficaciter evenit quod nescimus, sed per id, ad quod Deus jubet nos tendere, et quod præcipit facere.

LV. Ad primam confirmationem respondetur, quod in re non alio titulo exequenda est exclusio a gloria, nisi per viam damnationis: illa autem exclusio in intentione non est titulus denegandi gloriam, sed est appositio conditionis ex parte finis, quæ si non poneretur, nunquam posset postea in re executioni punitio mandari: si enim semel esset electus ad gloriam, non posset postea puniri rejectione a gloria executive, sicut si non supponatur finis intentus et volitus, non potest executive esse assecutus, sic si non supponatur relictus et non volitus, non potest executive esse negatus. Et in illa prima intentione efficaciter debet esse exclusus via intentionis, quia in re illa exclusio exequenda est, sed titulo punitionis, qui pertinet ad executionem. In prima autem intentione finis, vel remotio illius non attenditur titulus intendendi, quia ad intendendum non datur titulus, sed bonitas finis movet, et pro illo rejicitur, aut eligitur persona; ad exequendum autem datur titulus ex parte personæ, cui res datur, sicut in meritis ad gloriam dicimus. Et sic in prima electione ad finem, vel rejectione Deus procedit ex mera sua voluntate, et ex motivo bonitatis, et ostensionis justitiæ, ut postea in executione titulus

meritorum consequatur, vel demeritorum permittatur. Et sic illa prima intentio est efficax in suo ordine, id est, per viam intentionis, et finis, nec ut in illo ordine sit efficax requiritur quod ibi præcedat titulus, et modus, quo in re ponendum est, sed sufficit quod ex illo originetur modus, et media, quibus postea in re exequendum est, et sic est efficax originative in intentione, complete, et realiter autem postea in executione.

LVI. Ad secundam confirmationem respondetur, quod sicut diximus disputatione præcedenti agentes de penitentia, an sit effectus prædestinationis, licet ad exercendam justitiam requiratur peccatum ut materia debiti puniendi, sicut ad penitentiam requiritur ut materia destruenda peccatum, tamen Deus intendens justitiam, et penitentiam non tenetur velle peccatum, sed solum permittere, quia peccatum non est ponibile in re per volitionem Dei, sed per permissionem, et suspensionem concursus, seu denegationem gratiæ. Unde solum tenetur velle permissionem, seu non dare gratiam. Præsertim, quia in his quæ habent pro materia vel conditione requisita aliquod malum, nunquam intenduntur absolute, sed cum aliqua connotatione, seu conditione, v. g. volo justitiam pro malis vindicandis, non absolute volo justitiam. Unde quia est volita non absolute sed pro his malis; qui vult justitiam non tenetur velle omnia, quæ ad illam conducunt, sed sufficit non apponere impedimenta majorum, id est, gratiam, et expectare quod ab aliis fiant, quia non est de genere eorum quæ absolute sunt volita, et ut sibi bona, sed pro his scilicet malis, si fuerint. Non tamen tenetur aliquis velle justitiam præsupponendo quod mala jam existant, et antecedant, sed

sufficit quod consequenter existitura prævideantur ex permissione Dei, et defectu creaturæ a quo derivantur. Vide quæ citato loco diximus de penitentia, eadem enim ratio hic currit.

## ARTICULUS III.

*Qui sint effectus reprobationis?*

I. De tribus generibus rerum potest esse difficultas, an pertineant ad effectus reprobationis, scilicet de malis pœnæ, tam quæ irrogantur in alia vita, ubi est certa damnatio, quam quæ irrogantur in hac vita, et ad illam damnationem conducunt, ut mors reprobi in statu peccati, amissio usus rationis, negatio sufficientis auxilii, aut occasionum conducentium ad conversionem, et similia. Aliud genus est malorum culpæ, in quo genere ponuntur omnia quæ pertinent ad permissionem Dei, qua labitur quis in peccatum. Tertium genus est bonorum temporalium sive pertineant ad ipsam substantiam prædestinati, sive ad aliqua ejus accidentia, sive intrinseca, sive extrinseca; quia in omnibus his potest aliquid accidere, quod pertineat, saltem materialiter, vel ad culpam reprobi, vel ad pœnam. Unde formaliter loquendo quidquid pertinet ad effectum reprobationis, vel est permissio culpæ, vel illatio pœnæ, et damnationis: ad hæc enim duo capita omnes istos effectus reduxit S. Thomas in præsentibus articulo tertio.

II. Supponit hæc difficultas quid nomine effectus reprobationis intelligamus, vel quid requiratur, ut aliquid sit effectus reprobationis. Hoc enim tamquam regula debet accipi, qua utamur ad dignoscendum quidnam sit reprobationis effectus. Licet autem juxta diversa

sententias de reprobatione, in quo consistat, sit etiam diversitas sentiendi circa effectus reprobationis quinam sint, ut articulo primo retulimus, tamen in hoc puncto omnes convenire debent, et hoc tamquam fixa regula in hac parte haberi debet, quod a simili diximus supra disputatione nona, articulo primo, explicantes conditiones requisitas ut aliquid sit effectus prædestinationis, videlicet quod ut aliquid sit effectus reprobationis, debet effective esse a Deo ex voluntate excludente hominem a gloria; secundo, debet pertinere ad creaturam rationalem; tertio, debet conducere ad talem finem, seu ad exclusionem a tali fine, ita quod coordinetur, aut continuetur, vel dicat ordinem cum ultimo medio pariente ipsam executionem finis assecuti, sicut omnes effectus prædestinationis, et media ad ipsam conducentia debent coordinari, et continuari cum ultima perseverantia. Et sic illæ quatuor conditiones, quas ibi proposuimus pro effectu prædestinationis, hic reducimus ad istas tres pro effectu reprobationis, in quibus omnes illæ includuntur: nam ex parte efficientis requiritur quod effectus reprobationis sit a Deo, et sit a voluntate excludente a fine ultimo non eligente ad illum: quæ enim non procedunt a voluntate reprobante, effectus reprobationis non sunt: et sic peccata quæ a nulla Dei voluntate sunt, non possunt esse effectus reprobationis: in se enim peccata solum sunt defectus; et ideo a summo efficiente esse non possunt, sed solum permitti, quæ permissio est denegatio gratiæ, qua impediretur peccatum, et hæc a Deo esse potest. Ex parte vero subjecti requiritur quod pertineat ad creaturam rationalem, eo quod sola illa est capax exclusionis a beatitudine, sicut est capax transmissio-

nis ad illam. Ex parte vero finis quod ad talem exclusionem conducatur, quia si ad illam non conducit, nec etiam effectus erit illius voluntatis, quæ talem finem intendit et procurat.

III. Hinc nascitur varietas sententiarum, ut retulimus articulo primo. Qui enim sentiunt reprobationem positivam solum esse voluntatem excludentem a regno punitive, et per modum damnationis, sentiunt etiam pro effectu reprobationis solum posse assignari pœnam ipsam damnationis æternæ: reliqua enim quæ ad permissiones peccatorum pertinent supponuntur, non efficiuntur a justitia punitiva. Quæ vero ad pœnalitates hujus vitæ pertinent, non sunt pœnæ reprobationis propriæ, quia non sunt æternæ, et ita sunt communes reprobis et prædestinatis. Qui vero sentiunt reprobationem non esse solum voluntatem punitivam, sed etiam providentiam circa creatura deficientes ab ultimo fine, assignant pro effectu non solum pœnam damnativam, sed etiam permissionem incurrendi in culpam tamquam quid ortum ex illa voluntate excludente, seu non eligente ad gloriam, et conducens ad hoc ut executioni mandetur illa exclusio per modum pœnæ. Et istæ sunt extremæ sententiæ in hac parte. Pro hac sententia retulimus articulo primo D. Thomam, pluresque Thomistas. Pro prima multos alios retulimus ibidem, tam ex antiquis, quam ex modernis, et in ratione reprobationis positivæ et efficacis ut exclusivæ a beatitudine in eadem etiam conveniunt Vasquez, Suarez, et alii quos ibi retulimus.

IV. Inter has sententias extremas duæ quasi mediæ se offerunt. Altera quæ sentit quod etsi permissio peccati, seu negatio auxilii congrui in reprobo non sit effectus reprobationis positivæ, est tamen effectus ne-

gativæ, seu illius primæ rejectionis aut non electionis reprobationis ad gloriam, quæ est sententia p. Suarez libro v de reprobatione, cap. vii, num. xiii. Vasquez autem etsi non ponat reprobationem negativam, quæ sit causa hujus permissionis, nec aliquam efficacem exclusionem a gloria ante prævisum peccatum in quo reprobis vitam finit; et sic non facit aliquam permissionem peccati effectum reprobationis efficacis, sed præsuppositum, tamen quamdam simplicem voluntatem in Deo ponit communem reprobis, et prædestinatis, ex qua dimanant permissiones peccatorum in reprobis, et prædestinatis, ex qua dimanant permissiones peccatorum in reprobis, scilicet ex voluntate puniendi peccatum primi parentis, in Angelis autem id derivatur ex mera voluntate Dei. Respectu autem aliquorum parvulorum, quibus Deus denegavit omne remedium salutis, etiam ex simplici affectu excludendi illos a gloria, dicit emanasse permissionem contrahendi peccatum originale irremissibiliter, et prout sic est effectus illius exclusionis inefficacis a gloria, prout ex ipso Vasquez hic disputatione xcv retulimus, articulo primo.

V. Altera sententia etiam media, quæ aliquo modo agnoscit permissionem peccati esse effectum reprobationis, tradita est a p. Alarcon tract. iv, disp. v, c. v, quæ fere est explicatio sententiæ Vasquez: et pro illa ex parte alios auctores adduxit, Ruiz, Herice, etc. distinguit de reprobatione efficaci a gloria, et de reprobatione inefficaci. De reprobatione efficaci a gloria, dicit in calce capitis non habere regulariter alium effectum quam ipsam privationem gloriæ a parte rei, id est, ipsam pœnam damni, quæ propter omnia peccata morte consummata infertur. De reprobatione inefficaci docet et supponit quod pro quolibet peccato mortali, sive originali, sive actuali

est in Deo voluntas excludendi illum a gloria, et afficiendi morte æterna, quia tale peccatum ea pœna est dignum. Sed vocatur hæc voluntas antecedens, et simplex, quia est communis omnibus, tam reprobis quam prædestinatis, nec in omnibus habet executionem efficacem, licet de se omni peccato mortali sit debita. Ex hac voluntate simplici docet oriri in primis negationem gratiæ habitualis in quolibet parvulo cum concipitur in pœnam peccati Adæ, quo meretur exclusionem a gloria: ipsa enim negatio gratiæ physice et secundum se considerata, sine respectu morali ad voluntatem, pœna est. Docet deinde eandem privationem gratiæ esse effectum reprobationis, et oriri ex illa voluntate simplici exclusiva a gloria in parvulis, qui moriuntur sine baptismo, et in pœnam peccati proprii, et peccati Adæ inferri a Deo, imo in adultis qui decedunt in peccato originali, etiam negatio auxiliorum quibus possent a peccato resurgere et justificari est effectus reprobationis ab eadem simplici voluntate descendens, et in pœnam peccati illata; eo quod tam ista negatio auxiliorum, quam illa negatio gratiæ habitualis est utilis ad illum finem excludendi a gloria, quia sine gratia et sine auxiliis non consequetur salutem; de se autem tales negationes non dicunt ordinem ad peccatum. Cæterum si homini adulto sit remissum peccatum, et sit justificatus, et iterum permittatur labi in peccatum, illa permissio, seu negatio auxilii, quo peccatum vitaret, dicit quod non est effectus illius simplicis reprobationis, neque in pœnam peccati proprii, vel Adami, et quod illa permissio in homine jam justificato, et alias non habente peccatum dignum morte, non potest esse utilis ad finem reprobationis, nisi per ordinem ad novum pecca-

tum quo mediante fiat dignus illa exclusione a gloria : ergo non potest amare illam permissionem ex ordine ad talem finem, nisi amet ipsum peccatum per quod sit utilis ad talem exclusionem, et non alias, hoc autem est impossibile : ergo, etc.

VI. De morte temporali reprobi, et aliis ad eum pertinentibus, ut privatione usus rationis, malo ingenio, aut temperamento, et similibus, an sit idem auctor, esse reprobationis illius simplicis, seu negativæ effectum, quia hæc omnia utilia sunt ad illum finem, et non conducunt medio peccato, sed ex se, p. Suarez libro quinto de reprobatione, cap. VII, num. XI censet mortem non esse effectum reprobationis positivæ regulariter loquendo, sed potius Deum positivè reprobare, punire damnatione æterna post prævisam mortem ex aliqua naturali causa accidentem; aliquando tamen aliquas extraordinarias mortes, ut in Dathan, et Abiron, et similibus, esse effectus reprobationis, et contingere ex voluntate efficaci excludendi a gloria. Idemque sentire videtur Villegas contrav. XVI, disp. II, c. II.

RESOLUTIO EX MENTE D. THOMÆ. PÆNÆ ET ALLÆ RES NATURALES QUÆ SUNT EFFECTUS REPROBATIONIS?

VII. Dico primo : Æterna damnatio tam quoad pœnam damni, quam sensus, insuper, et mors reprobi in statu peccati, sunt effectus reprobationis. De prima parte conclusionis apud nullos auctores est dubium, cum nullus certior effectus reprobationis sit etiam pro ea parte qua reprobatio dicit actum punitivum, quam æterna damnatio, quia hæc est pœna passive in ipso reprobo inflictæ a Deo et est perpetua exclusio a gloria : ergo procedit a Deo active

puniendo punitione perpetuo exclusiva, hæc autem est reprobatio : ergo illa pœna sic inflictæ est effectus manifestissimus reprobationis, etiamsi reprobatio sumatur in strictissima et inadæquata acceptione pro sola voluntate puniendi, et non solum pro providentia circa eos qui deficiunt a fine ultimo : jam enim supra sæpe diximus actum punitivum in reprobatione non esse totam et adæquatam rationem reprobationis, sed includere alios actus qui pertinent ad dispositionem et providentiam circa reprobos. Et sic D. Thomas in articulo tertio hujus quæstionis ponit pro effectu reprobationis, inflictionem pœnæ damnationis pro culpa.

VIII. De secunda parte conclusionis, non est ita constans, ut vidimus, sententia inter auctores. Suppono autem ex traditis a D. Thoma 1-2, q. LXXXV, art. V et VI, et 2-2, q. CLXIV, art. I, et in q. V de malo, art. IV et V, et aliis in locis, mortem esse pœnam peccati originalis, quia etsi mors naturalis sit homini ex parte corporis, seu materiæ, quatenus corpus illud constat ex contrariis, et est corpus alterabile, et generabile, et consequenter corruptibile, et anima licet sit spiritualis, tamen modo corruptibili informat corpus juxta exigentiam talis materiæ, quia debet reddere illud sensibile, et non potest sensibile esse, nisi ab objectis sit alterabile, cæterum attempto dono originalis justitiæ, et auxiliis ei correspondentibus divinæ protectionis, esu ligni vitæ, quo reparabantur defectus corruptionis humidi radicalis; homo in statu illo innocentia, mortem non gustasset. Unde sicut in pœnam peccati originalis subtractum est donum originale justitiæ, et omnia illud concernentia, ita mors, et alii defectus corporis, qui a tali dono detinebantur, subtracto illo, naturaliter redie-

runt in pœnam peccati. Quare mors secundum se, aliæque pœnalitates, quæ in hac vita reprobis accidunt, non sunt effectus reprobationis, sed communes sunt reprobis et prædestinatis, et ex generali providentia oriuntur in pœnam peccati originalis, prout omnibus communis est, et juxta principia naturæ corruptibilis. Non est ergo difficultas de morte secundum se, et quoad substantiam, quod non sit immediate, et elicitive effectus reprobationis. Sed loquitur de morte hominis pro tali statu, id est, prout in peccato mortali, et ut conditio requisita ad finalem impœnitentiam, et consequenter ad æternam damnationem, et prout sic conducens; et sic dicimus imperative esse a reprobatione, sicut mortem prædestinati diximus esse a prædestinatione imperative. Et dico esse a reprobatione, et ut providentia specialis est circa reprobos, et ut exercet actum puniendi, seu ad illum disponit executionem punitionis. Nec solum est effectus reprobationis mors reprobi, ut facta per causas extraordinarias, et supra naturæ exigentiam, sed generaliter ut conducit ad executionem damnationis, et supplicii reprobi, quia non ponitur a nobis effectus reprobationis mors, ut supra naturam, vel extraordinario modo accidens, sed ut conducens ad supplicium æternum, et hoc est generale omni morti reprobi.

IX. Si ergo probatur hæc pars conclusionis, quia in primis id significat Scriptura pluribus locis, Job XX: *Detrahetur in die furoris Dei, hæc est pars hominis impij a Deo, et hæreditas verborum ejus a Domino.* Ubi ly in die furoris, significat diem condemnationis, et reprobationis divinæ. Super quem locum D. Thomas lect. II, in illud caput: « Detrahetur, scilicet, inquit, de hac vita, in die furoris Domini, id est, in die

vindictæ. » Ergo detractio ab ista vita, quod utique per mortem sit, est pars hominis impij a Deo, quod est esse effectum reprobationis ejus, quia tamquam hæreditas impietatis, et pars ejus datur ei a Deo. Item Psalm. XXXV: *Vultus domini super facientes mala ut perdat de terra memoriã ipsorum.* Ubi iterum D. Thomas super istum psalmum dicit: « Loqui de providentia divina erga malos, quæ utique reprobatio est. Vultus inquit Domini super malos Proverb. XV. Infernus, et perditio coram eo: Et dicit vultus, quia designat cum quadam ira respicere in seipsos malos. Sed ad quid super eos respicit? Certe ut perdat de terra memoriã eorum, quod dupliciter potest intelligi, vel quia potest referri ad terram præsentem, vel potest referri ad terram viventium. » Sed perdere de terra præsentem, est per mortem: ergo ipsa subtractio de terra, et ipsa mors, effectus est divinæ indignationis, et reprobationis in malis. Denique, idem significatur Matth. XXIV, de servo nequam: *Veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, et hora quam ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis.* Ubi divisio recte intelligitur separatio animæ a corpore, quæ ponitur effectus adventus Domini ad judicandum, et condemnandum servum pravum; sicut etiam Lucæ XII, dicitur de alio divite reprobo: *Stulte hac nocte repetam animam tuam a te;* quasi animæ separatio in reprobo fiat ex eo quod reperitur in judicio divino, et talis iudicii effectus est. Hoc autem iudicium est reprobatio.

X. Ratio autem hujus est, quia mors non solum consideranda est ut quædam naturalis corruptio in quo convenit cum morte omnium animalium, et pertinet ad generalem totius universi gubernationem,